cietatibus litterariis?

um, quibus cura incumbat, non modo veritates iam detectas colligendi, & denuo examinandi, sed etiam nouas detegendi, scientias & artes quaslibet perficiendi; cum doctorum Academicorum sit, cognitas veritates docere.

CAPVT IV.

DE CVRA IMPERANTIS CIRCA VIRTVTES MORALES ET RELIGIONEM.

§. 314.

An cura circa virtutes habenda?

Nemo dubitare potest, quin praecipue in republica curandum sit, vt virtutis studium & vitiorum odium promoueatur; equidem societas ciuilis, vt aliae omnes, ad felicitatem hominum procurandam instituta intelligitur: nequit vero haec obtineri, nisi ciues ad obseruationem legum naturalium & positiuarum quarumcunque adigantur, & a vitiorum consectatione retineantur; igitur curam circa virtutis studium in republica habendam patet.

§. 315.

Quomodo studium virtutis promouetur apud paruulos?

Studium porro virtutis variis mediis promoueri potest: sed aliis apud paruulos, aliis apud adultiores vtendum est; intuitu *paruolorum* id facile obtinetur, si tum in scholis a magistris, tum in templis ab ecclesiae ministris principia doctrinae moralis & religionis christianae (§. 811. Theol.) dilucide ex-

explicentur, exempla virtutis ſtudioſorum proponantur, & vitiorum funeſti effectus depingantur.

§. 316.

Apud *adultiores* quoſcumque non facilius id obtineri poteſt, quam ſi per ſtabilitos eccleſiae miniſtros, ſtatutis diebus in templis publice doctrinae moralis capita explanentur, & officiorum ſuorum admoneantur: opportuni huic inſtituto ſunt dies, qui externo Dei cultui (§. 107.) deſtinantur. In ſubſidium adultorum *minus rudium* praeterea conſtituendi ſunt in gymnaſiis & academiis ethicae profeſſores. Apud adultiores?

§. 317.

Sunt, qui ſermones in templis ad plebem ſolum admonendam haberi putent; *aiunt* nempe melioris conditionis homines, & litteris excultos ante noſſe, quid bonum malumue ſit, adeoque ad audiendos eos non obligari. *At vero* falluntur iſti; equidem aliud eſt, noſſe quid bonum & malum ſit: aliud, habere viuam officiorum ſuorum cognitionem, & illorum ſaepius meminiſſe; prior illa nuda cognitio ſtudendo acquiritur, & virtuoſum nondum efficit: at vero poſterior praecipue eiusmodi adhortationibus promouetur (§. 205. 206.), quae potius commonefaciendi, quam erudiendi cauſſa habentur. Patet igitur eas etiam a doctis & melioris conditionis hominibus negligendas non eſſe. An ſermones in templis ſolum pro plebe & rudibus?

§. 318.

§. 318.

Cur ſtudium religionis promouendum?

Sed nihil ad virtutis ſtudium, perficiendumque moralem hominis ſtatum opportunius eſt *religione*: haec enim efficaciſſimis ad virtutem amplectendam & fugiendum vitium vtitur motiuis, dum duce reuelatione praemia, & poenas aeternas proponit. Cum ceterum rempublicam ſine religione conſiſtere non poſſe, alias (§. 792. Theol.) iam oſtenderimus: nemo dubitauerit, quin maxime curandum ſit, vt religio inter ciues floreat, eaque *reuelata* (§. 813. Theol.).

§. 319.

Quae ad id media?

Religionis ſtudium promouendi ſequentia ſunt media: 1. ſi doctores publici conſtituantur in eccleſiis, tum ſufficiente inſtructi ſcientia, tum virtutibus conſpicui, vt non modo recte inſtituere ciues, ab errore & ſuperſtitione reuocare poſſint, ſed etiam exemplis moueant: 2. ſi magiſtratus ipſi religionis exercitiis decenter vacent: 3. ſi ciues puniantur, qui aut irreuerenter cultui diuino aſſiſtunt, aut prauis ſermonibus ſcriptisque religionem traducunt.

§. 320.

An tolerandi athei?

Hinc iam 1. intelligis, atheos in republica tolerandos non eſſe; cum enim iſtius farinae homines Dei exiſtentiam negent, conſequenter omnem religionem contemnunt; igitur nullo impelluntur motiuo omittendi delicta, quae ſperant celari aut negari poſſe, ſi in ſuſpicionem venerint: hominem re-

religiosum contra timor Dei impedit, quo minus mala committat, quae clam & sine metu poenarum ciuilium potest. Accedit, quod atheis deferri nequit iusiurandum (§. 152.), cuius vtilitas in republica patet.

§. 321.

Hinc quoque 2. intelligis, curandum esse imperandi, vt *moralium virtutum* studium vigeat, non solum *politicarum*, quas vocant: discrimen in eo situm est, quod ad virtutem politicam consensus actionum cum legibus societatis: ad virtutem autem moralem praeter hanc conformitatem, etiam *motiua* actionum per se honesta & bona sint necessaria (§. 45.). An cura habenda virtutum moralium?

§. 322.

Neque tamen ideo reiiciendae aut negligendae sunt virtutes politicae, quarum motiua passim solent esse priuata quaedam commoda; equidem ad felicitatem reipublicae necessarium est, vt ciuis quilibet actiones suas iuxta leges ciuitatis conformet; vt autem hoc fiat ex motiuis per se honestis, aut a diuina voluntate petitis, id non est in potestate imperantis; cum motiua in animo lateant, nec sensuum iudicio subiaceant, quemadmodum actiones. An negligendae virtutes politicae?

§. 323.

Consensus actionum cum legibus *honestas* externa dicitur: necessarium vero est ad felicitatem reipublicae, vt actiones ciuium cum legibus consentiant; igitur externae honestatis curam habendam esse patet. An curanda honestas externa?

§. 324.

Quibus mediis promouetur?

Honestas externa porro in republica maxime poenis & praemiis ciuilibus promouetur: priorum tria sunt genera, *mulctae* seu detrimentum opum, *infamia* seu iactura honoris, & *poenae corporis afflictiuae*, seu dolores corporis, quorum infimus gradus est carcer, supremus poena capitis seu illatio mortis. Inter posteriores vero locum praecipue *dignitates ciuiles* habent.

§. 325.

Qua ratione attemperandae delictis poenae.

Cum poenae ciuiles ideo praecipue sint constitutae, ne vel reipublicae vel singulis ciuibus iniuria a quoquam inferatur, intelligis eas attemperandas esse circumstantiis; igitur quo *maius damnum* actione aliqua infertur, quo *frequentius* delictum committitur, quo maior est *malitia* committentis, eo grauior debet esse poena; sic grauius puniendus homicida, quam fur.

§. 326.

Quid poenas efficaces reddit?

Praecipue autem in poenis ad obtinendum finem efficacia inest, si poenae delictorum certo executioni mandentur, neque spes impunitatis aut remissionis superst, neque enim quis poenis facile a proposito male agendi absterrebitur, si eas declinandi spem habeat. Nihil tamen prohibet, poenas statutas delinquentibus remittere, aut in leuiores commutare, si speciales in casu quodam circumstantiae id exigant.

§. 327.

§. 327.

Poenae ciuiles non solum eo fine infliguntur delinquentibus, vt ipsi in posterum ab eius generis actionibus abstineant, sed etiam, vt reliqui ciues ab iis abhorreant; igitur poenas capitales quoque infligere licitum est, cum aliae leuiores ad alterum hunc finem obtinendum non sufficiunt; igitur & publice nec absque cerimoniis supplicia eiusmodi infligenda sunt. An licitae poenae capitales?

CAPVT V.

DE CVRA CIRCA NECESSITATEM ET IVCVNDITATEM VITAE, ATQVE HONOREM CIVIVM.

§. 328.

Primam in republica curam esse (§. 299.) diximus, vt ciuium numerus augeatur: nequit vero vel conseruari vel augeri, nisi de victu, amictu & habitatione prospiciatur: neque prospici potest sine *oeconomia rurali*; igitur patet, in primis curandum quoque in republica, vt agricultura, horticultura, siluicultura, & res pecuaria floreat, per quas absolute necessaria sustentandae vitae subsidia parantur. An oeconomiae ruralis cura habenda?

§. 329.

Sola oeconomia ruralis necessitatibus sufficere non potest, quod producta naturalia necdum vsibus destinatis hominum seruiant; igitur alendus est praeterea sufficiens *opificum* & *artificum* numerus, qui dona naturae di- An opificiorum & artium?